

rim in gravius multò ac vitæ ac salutis periculum conjiciantur. Hæc *Gobler. art. 34.* ubi & alia notatu digna tradit. Infanticidii autem indicium est sufficiens ad torturam, si virginis uterus successivè intumescat, & mox macra & livida existat, modò honestæ obstetrices, vel matronæ peritæ tactâ; inspectâq; muliere, (*vid. Gobl. d. artic. verbo inspicere*) referant, & attestentur juratò pertradita à *Mascard. 3 de prob. concl. 1125. & concl. 1208* illam non modò virginem non esse (quæ deflorationis, sive corruptæ virginitatis probatio aliàs difficilima est.) Imò ex multorum sententia fallax. Vide *Marcell. Donat. operâ & studio Gregorii Horstii editum de medicâ historiâ mirabili, lib. 4 c. 15 p. 387. Iohan. Riolan. lib. 2. Anthropolog. c. 34. pag. 300. cum seqq.* sed etiam peperisse, eâve aliàs suspecta sit, *Zang. d. c. 2. num. 165. 166. 167. 168.* Confer *Steph. hic*, & non contemnendis notis hunc articulum præsentem declaravit *Zieritz. hic, per tot.*

## ARTICULUS XXXVI.

*Aliud indicium infanticidii proximum.*

1. Si infans ab hac luce subtractus in platea, fluminibus, cloacis, vel aliis in locis reperiatur, & quædã mulier sit, quæ lac habet in mammillis, neget tamen se peperisse, evidens indicium est, ut eadem hæc mulier quæstioni subijci debeat, & interrogari, an infantem pepererit, strangularit, vel alio modo de medio sustulerit? *Zang. d. c. 2. num. 169.* Hic locus apud Rhetores à conjecturis dicitur. Sic *Cicero lib. 6. Epist. Famil. ad Q. Ligarium* à signis colligit; Cæsarem mitiorem factum. Non solùm, *inquit*, ex Oratione Cæsaris, quæ sanè mollis fuit, sed etiam ex oculis & vultu, & multis præterea signis, quæ faciliùs perspicere potui, quàm scribere, hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Neq; enim hæc mulier ægrè feret, si torqueatur, quæ ut illa venenis viscera hominis: sic hæc viscera propria detestabili crudelitate extinguit, ut sonant verba *Gobleri hic, art. 34. verb. quæstioni subijci.*

2. Hoc tamen notandum, solam præsentiam lactis in mammis, tum si quæ non prægnans, nec puerpera est, lac habet; ei menstrua defecerunt, *Iacob. Holler. in commentariis septem in Aphorismos Hippocratis, sect. 5. aph. 39. p. 288.* tum quod nonnulli masculi lac aliquando in uberibus habuisse memoriæ proditum invenimus, *Marcell. Donat. de historiâ medicâ mirabili, lib. 6. p. 611. Caspar. Baubin. lib. 2. anatom. c. 3. de mammis virorum, in notis d. p. 177. 178. Haub. von Ende discurs. crimin. concl. 166.* non esse probabile indicium infanticidii, ut ex *Hippocrate, Galeno, Plinio, Cardano, Gregorio Horstio*, latè post *Zieritz. hic, verb. naturaliter fieri posse*, deduxit *Steph. hic*, ubi quoq; ex *Zangero num. 171.* aliud indicium ad torturam refert, si mulier fateatur; se infantem vel mortuum, *art. 131. vers. so aber ein Weibsbild* nulla adhibita obstetrice, vel aliis mulieribus non adhibitis, enixam esse, vel ex utero in terram cecidisse infantem; & hoc modo interemptum esse. Vide *Henr. Bocer. in tract. de omnis generis homicidio, lib. 1. c. 5. num. 15. in fin. ferè.* De indiciis infanticidii

ticidii